Strazyc Albert: Lugubris lessus funebri elego conceptus, et ad feralem urnam D. Jacobi Gorski exhibitus. Crac. 1652.

LVGVBRIS LESSVS

Funebri Elego conceptus,

ET

Ad Feralem Vrnam

Perillustris, Magnifici, & Admodum Rndi. Dni.

D. JACOBI GORSKI

I. V. DOCTORIS & PROFESSORIS,

Ecclesiæ Cathedralis Cracouien: CANONICI,

Sanctorum Omnium CVSTODIS,

PROTONOTARII APOSTOLICI, &c. &c.

Almæ Academiæ Cracouiensis

DIGNISSIMI

RECTORIS,

DVM

In Ecclesiâ Collegiatâ SS. Omnium

TVMVLARETVR,

A M. ALBERTO STRAZYC

EXHIBITVS.

Anno Salutis 1652, Martij 25.

CRACOVIÆ,

Apud Lucam Kupisz S.R.M. & Academiæ Typ.

PERILLVSTRI, CLARISSIMO & ADM: RNDO D.

D. STANISLAO ROZYCKI,

J. V. Doctori & Professori, Ecclesiæ Collegiatæ SS. Omnium Cancellario, &c. &c.

PERILLVSTRIS olim MAGNIFICI & AD. R. D.

D. IACOBI GORSKI,

J. V. Doctoris ac Professoris, Ecclesiæ Cathedralis Cracouiensis Canonici, &c. &c.

Almæ Vniuersitatis Cracouiensis RECTORIS,

SVPREMÆ VOLVNTATIS EXECVTORI.

Domino & Patrono Amplißimo, salutem, & perennem Felicitatem.

CVltor & Antistes sacrarum Maxime Legum,
Et benè veridici Primus in arte Fori.
Qui sortem anteuenis meritis, virtutibus annos:
Partaq; per nostros Sceptra tueris Auos.
Accipe perfacilis nostris Patrone Camœnis,
Edita funereis carmina mœsta modis.
Atra quidem: deflet quoniam noua funera Musa:
Illa Tibi posthac candidiora feret.
Candidiora feret Iuris Doctissime Custos:
Nec dubites, tantùm Celsus honore vige.
Celsus honore vige, longâ Dignissime vitâ:
Vtque diu vigeas, sit Tibi vita; Vale.

E L E G I A

O Curas hominum! ô quantũ est in rebus inane!
Quàm proprium vergunt omnia ad exitium!
Eheu! quàm rapido grandes Fortuna rotatu
Spes hominum versat! quàm furibunda rapit.
Æternùm nihil, heu nihil est firmumq; potensq́ue!
Phœbi pennatos cuncta sequuntur equos.
Omnia prætereunt, Fati truduntur in ictum:
Hæc Libitina ferox; tempus at illa metit.
Dic vbi Mausoli diues fortuna sepulchri?
Pyramides, Circi? dic vbi regna? iacent.
Dic vbi Scipiadæ, Fabij, fortesq́ue Camilli?
Dic vbi Aristoteles, Pythagorasq́ue? iacent,
Mortales rapimur, simul & Capitolia & Arcus,
Et Thermæ, & Circi, pegmata, regna, Duces.
Indocti doctis, Reges sociamur egenis:
Quosq́ue status nequijt Mors facit vna pares.
Et scelus, & pietas tumulo tumulantur in vno:
Nîl candor, virtus, simplicitasq́ue valent.
Creditis his Lechicæ sapientia corda Stagiræ?
Credite Iagelonæ Turba verenda Scholæ.

Quem

Quem nuper Cracijs Patrem ſpectâſtis in oris;
Occidit! ad Superos noſter abiuit Atlas.
Corruit admiſſis Turris fortiſſima telis
Mortis, pullatæ præda petita neci.
Illa Viri facies canis pretioſa capillis,
Ille Viri ſplendor, vox generoſa, caput,
Quæ nuper Lechicum prudenti mente Lycæum
Mulcebant, inter corpora muta iacent.
Et ſine voce iacent: ſiluit facundia linguæ:
Quæ poterat blandis ſaxa mouere ſonis.
Quæ poterat gelidas orando ducere ſyluas;
Non poterat Stygias flectere voce Deas.
O dolor! ô rigidi inclementia ferrea Fati!
O fallax, rapidum, vita caduca bonum!
Quàm citò nos curſu præpes dimittis in ipſo?
Quàm citò præcipiti cogeris ire gradu?
Quàm citò funeſtus Fato mactaris iniquo!
Quàm citò Dux Stöæ, luxque decuſque cadis?
Vix Te magnanimos ſurgentem vidit in auſus
Orbis, & Actori Scena peracta Tibi eſt.
Vix Cracijs iuſſum paulùm ſplendeſcere Sceptris;
Jllicò Te nobis trux Libitina rapit.
Vix permiſſa Tuis patuit breuis area geſtis,
Occidis: hic vitæ debuit eſſe modus?
Quid Tibi profuit ingenuam coluiſſe Mineruam?
Quid ſtudijs vitæ luſtra dediſſe Tuæ?

Dumq;

Dumque manu voluis leges, iterumque reuoluis
Insomnem nocti continuâsse diem.
Quid per Sarmaticas doctè tonuisse Cathedras?
Aût apud attonitos disseruisse viros?
Theophili chartas, voluisse volumina Baldi?
Quid fuit & lites composuisse nouas?
I nunc, tolle animos, doctos Tibi finge triumphos:
Stantiaque in plausus tota Lycæa tuos.
Dura ærumnosæ perfer contagia curæ:
Multa sub angusto pectore damna foue:
Vt pueris placeas, vt declamatio fias:
Quilibet & de Te possit vt esse loquax.
Tu quoque (transactos Lachesis numerauerit annos)
Præceps Lethæâ cogeris ire rate.
Crudeles Superi, crudelia sydera cæli:
(Parcite, solicitat dicere tanta dolor)
Bruta salutiferam extendunt in sæcula vitam;
Nostra refert paruam quid nisi vita moram
Narcissus curuis fuerit cùm cæsus ab armis;
Exerit è tepidâ molle cacumen humo.
Frigida purpureum rapuit cùm bruma decorem,
Ver reddit, medias Sole tenente vias.
Alipedes ponto, postquam deduxit, Ibero
Phœbus, ab Hesperijs pulchrior exit aquis.
Cùm cecidit caro nobis cum lumine vita;
Vrget perpetuus corpora nostra sopor.

Improba Mors nimiùm, nimiùmq́ue cruenta, decebat
A tanto dextras abſtinuiſſe viro.
Improba Mors cunctis aſſueta nocere diſertis,
Debueras tanto non nocuiſſe viro.
Stamina debueras dextrâ impendiſſe benignâ,
Non præciſa huius ſurripuiſſe colo.
Dignus erat Pylij tranſcendere Neſtoris annos:
Dignus Mygdonij ducere sêcla ſenis.
Dignus Cumææ decurrere luſtra Sibyllæ.
Dignus in æternas viuere Olympiadas:
Non ille Aonias ſtuduit placuiſſe per artes,
Frondibus & ſacras implicuiſſe comas:
Vt de marmorei prodiret limine tecti,
Inclytus Attalicâ, conſpicuuſq́ue togâ.
Non vt Dalmatico clarus diteſceret auro:
Quodq́ue metallifero profluit amne Tago.
Non vt ſeruitium vaſti contingeret orbis:
Multus & à dextris verna clienſq́ue foret:
Aſt bona ſydereo cumularet gaudia cœlo.
Quotquot (diſpereant) hoc ſine fine ſtudent.
Nam mihi quid prodeſt pondus prædiuitis arcæ?
Aût quæ de Heſperio littore concha venit.
Quid Cöæ veſtes? radians quid purpura, & oſtrum?
Aût Porphyriacis ebria lana vadis.
Quid telluris opes, flauiq́ue fodina Coralli?
Milleq́ue ſi findant Gargara, Bactra, boues.

Nîl

Nîl iuuat auratis nixum ſplendeſcere gazis,
Eſt cura Empyrei ſi mihi nulla Patris.
Crudelis Clotho, non te reuerentia magni
Numinis inflexit, non ſpecioſus amor.
Non grauitas oris, vultus ſincera venuſtas:
Non cum grandiloquo verba remiſta ſono.
Iuſtinianæ prædulcis non copia linguæ:
Alciatiq́ue canens lingua diſerta melos.
Non dulcedo, ſales, blandi Charitumq́ue lepores:
Mentis diuitiæ, non ſine felle ioci.
Inuida Mors, heu Mors! rapuiſti Gaudia noſtra:
Gaudia ſub gelido contumulanda ſolo.
Dilectum Phœbo pectus, Superûmq́ue Parenti:
Dilectum Craciæ, Lechiadiſq́ue Ducem.
Quem non Phœbæas comitata ſuperbia lauros,
Altiùs elato fecit abire gradu.
Non inflauit Honor, vitium ſolenne diſertis:
Illius aût nimius ſolicitauit amor.
Pulchra ſerenato iacuit ſed Gratia vultu:
Quæ traheret mentes cum probitate pias.
Heu diram Lacheſim, tantis virtutibus aucto,
Quæ indoluit penſum lentiùs ire ſuum!
Ilicet atratis Mors Te mandauerit vmbris,
Non premet æternum nomen & illa decus.
Multa moraturæ detraxit tempora vitæ,
Detrahet aſt laudi non tamen illa Tuæ.

Viuet

Viuet honos, nomenq́ue Tuum, dum littus arenas,
Curuus habebit aquas Viſtula, viuet honos.
Viuet honos, cœlum ſtellas, dum robora tellus,
Atq́ue ferent piſces cærula, viuet honos.
Viuet honos, armata feretur dum ægide Pallas,
Illuſtris Muſis Cracia, viuet honos.
Omnia diſpereunt, nihil eſt, quod duret in æuum,
Pectoris exceptis ingenijq́ue bonis.
Ingenio, ſtudijſq́ue Tuis poſt funera viues:
Sola ſubit ſtructos corporis vmbra rogos.
O vtinam grates aliter perſoluere poſſem,
RECTOR Palladij Duxq́ue Saluſq́ue chori!
Sed iam longæuum ſemper victure per æuum,
Æternùm ſalue, perpetuùmq́ue vale.
Vos quoq́ue funereas, quotquot proſtatis, ad aras,
Dicite: Sit cineri luxq́ue quieſq́ue pio.